



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. An exigere aliquid temporale pro re Spirituali ratione consuetudinis  
excusari possit à vitio Simoniae?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

De alijs varijs actibus, & rebus spiritualibus, vel spiritualibus annexis pro quibus temporale dare aliquid, aut accipere, etiam specialiter prohibitum est jure Canonico?

**E**Xc. Non satis 8. h. 2. habetur, quod ab illis, qui in religionem transire volunt, nulla pecunia ex pacto exigenda sit, pro admissione; nec Prioratus, aut Capellanæ Monachorum, vel Clericorum, annua distractione vendi possint; nec ab eo, cui regimen talium committitur, pretium pro tali commissione extigi, & pro sepultura, christiatis, aut olei benedictione, nulla cujusquam pretij exactio, attentari possit. Quæ ipsa etiam sub Simoniæ peccato, ut ne quidquam pro immisionem in possessionem Ecclesiarum, ac beneficiorum, per modum pretij, & ex pacto accipiatur, in alijs varijs capitulis prohibetur. Videatur c. Cum in ecclesia 9. c. Cum sit 10. c. Ea, qua 16. c. in tantum 36. h. 2.

§. V.

An exigere aliquid temporale pro re spirituali ratione consuetudinis excusari possit à vitio Simonia?

**Q**uod nulla consuetudine excusari possit, ut pro spirituali, temporale aliquid, ex pacto, per modum pretij exigatur, vel accipiatur, certum est, cum hoc sit contra jus naturale, & divinum, quod autem piæ consuetudines observanda sunt, & per Episcopum compe-

sci debeant illi, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem mutare ex c. Ad apostolicam. 42. h. 2. habetur, & consequenter, ubi pia fidelium consuetudo, erga sanctam Ecclesiam devota, introduxit, ut illis qui divina administrant, temporale aliquid, in subsidium sæpius sustentationis, liberè & sponte offeratur, ac datur, observanda illa est, & ab Episcopo etiam observatio talis urgeri, vi juris ab Ecclesiæ acquiriti, ex assententia SS. Canonum, ita tamen, ut non valeat consuetudo, per quam tempore Collationis Sacramenti v.g. vel alterius rei spiritualis ab initio detur aliquid, ne detur occasio negandi talia spiritualia, si talia temporalia non dentur, quæ Simoniaca esset avaritia; & ne videatur à talibus exactioibus introducta fuisse talis consuetudo, quæ & ipsa simoniaca esset, cum initium haberet Simoniacum; & ne videantur temporalia talia pro spiritualium administratione ab invitis extorqueri, quod iterum Simoniam sapit, de quibus consuetudinibus jura loquuntur, cum consuetudines prohibent, & reprobant, quibus pro spiritualibus, temporalia exiguntur, aut accipiuntur.

SECTIO III.

De Simonia, quæ committitur in actibus jurisdictionis Ecclesiastica, & in ingressu sive admissione ad religionem.

§. An